

rectus ad gloriam ipsius, admisceat se, quo tuæ preces fiant abominatio. Deus in cœlo sedet, ut *judex*; tu autem in terra q. ad tribunal ejus stas. Debes igitur in timore ac tremore ad eum accedere. 1 Pet. 1:17. Huc aurigatur Metaphrastes, quanquam verba Solomonis paulò aliter accipit. ἐν θυμῷ μὲν ἔστι, ὅτι, εἰ καὶ πολὺ ἀφ᾽ ἐρήκασιν τοῦ ἔργου, γινώσκουσιν ὅτι, ὅτι ἐπὶ ἐπιηκόω φθηνόμεθα Θεῷ καὶ ἔστι λυσίτελές λαλήσιν ἀπελαπῶτως.

b. suadet paucitatem verborum, quæ est sibi nihil attribuentis & omnia gratiæ committentis; non diffidentis de ipsius providentia & paterno animo; suspectum habentis affectum suum; nullum fucum in verborum lenocinio vel gloriam apud homines quærentis, sed Deum, ut scrutatorem cordium, apprehendentis (quare & Servator Matt. 6:7. βασιλολογία vetat) idq; per eandem rationem; quia Deus in cœlo est, tu in terra; ipsius sunt omnia, tuum nihil; ipse providet omnibus, & scit, quo indigeas, tu nihil istorum; ipse conservat omnia, tu sine illo nihil es, & quod es, ipsius paterna bonitate es; ille spectat recessus cordis tibi ipsi incognitos. Ipse pater noster in cœlis regnum & hæreditatem tuam habet. Tu in terra terrenis affectibus duceris ad terrena, nisi ab ipsius spiritu ad cœlestia eleveris. v. 1. item à contrario, quod illustratur simili. v. 2. Nam venit somnium cum multitudine debilitationis, & vox stulti cum multitudine verborum. Duo indicat, 1. πολυλογία atque adeo festinationem in precibus esse stultorum, h. e. sibi magis, quàm Deo confidentium; sive quòd putant, se Deum, qui requirit fidem & pœnitentiam, demereri posse multis & elegantibus verbis; sive quòd putant, se melius scire, quid sibi utile sit, quàm Deum; sive quòd secundùm cupiditates suas orant. Sic Matth. 6:7. ὡσπερ οἱ ἔθνη. 2. preces stultorum esse instar insomnii. Ut enim somnians non iudicio aut seria voluntate somniat, sed patitur species, prout oblata fuerint; ita stultus ipse nescit, quid oret, neque cur oret aut speret; sed ut incidit, ita esse justum & sanctum & Deo placens sibi imaginatur. Ideo preces stulti vocat *sonum*. nihil enim est nisi sonus. Deinde ut insomnia plus homini inquietudinis & lassitudinis afferunt, quàm vigilantium occupatio; ita preces stulti habent magnam jactationem, inconstantiam, fluctuationem atque æstum; unde illa verborum multitudo provenit. quæ non est apud fideles, qui ut per preces præparant se sincero & simplici affectu ad gratiam DEI accipi-